

ORDO MISSAE

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. **Amen.**
Dominus vobiscum. **Et cum spiritu tuo.**

Actus Paenitentialis

Fratres, agnoscamus peccata nostra,
ut apti simus ad sacra mysteria celebranda.

Confiteor Deo omnipotenti et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, opere et omissione: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, omnes Angelos et Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus et, dimissis peccatis nostris,
perducat nos ad vitam aeternam. **Amen.**

Kyrie

Kyrie, eleison. **Kyrie, eleison.**
Christe, eleison. **Christe, eleison.**
Kyrie, eleison. **Kyrie, eleison.**

Gloria

Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.
Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite, Iesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Iesu Christe, cum Sancto Spiritu: in gloria Dei Patris. Amen.

Collecta

Liturgia Verbi

Lectio Prima / Secunda

Verbum Domini. **Deo gratias.**

Evangelium

Dominus vobiscum. **Et cum spiritu tuo.**

+ Lectio sancti Evangelii secundum ... **Gloria tibi, Domine.**

Evangelium Domini nostri Iesu Christi. **Laus tibi, Christe.**

Homilia

Credo

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Oratio Fidelium

Dominum deprecemur: **Te rogamus, audi nos.**

Liturgia Eucharistica

Benedictus es, Domine, Deus universi, quia de tua largitate accepimus panem, quem tibi offerimus, fructum terrae et operis manuum hominum, ex quo nobis fiet panis vitae. **Benedictus Deus in saecula.**

Per huius aquae et vini mysterium eius efficiamur divinitatis consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps.

Benedictus es, Domine, Deus universi, quia de tua largitate accepimus vinum, quod tibi offerimus, fructum vitis et operis manuum hominum, ex quo nobis fiet potus spiritalis. **Benedictus Deus in saecula.**

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine; et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem!

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Oratio Super Oblata

Prex Eucharistica

Dominus vobiscum. **Et cum spiritu tuo.**

Sursum corda. **Habemus ad Dominum.**

Gratias agamus Domino Deo nostro. **Dignum et iustum est.**

Praefatio

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Prex Eucharistica

Ritus Communionis

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis, da propitius pacem in diebus nostris, ut, ope misericordiae tuae adiuti, et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi: expectantes beatam spem et adventum Salvatoris nostri Iesu Christi.

Quia tuum est regnum et potestas et gloria in saecula.

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. **Amen.**

Pax Domini sit semper vobiscum. **Et cum spiritu tuo.**

Offerte vobis pacem.

Haec commixtio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosantum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas.

Perceptio Corporis et Sanguinis tui, Domine Iesu Christe, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
Beati qui ad cenam Agni vocati sunt.

**Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum,
sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.**

*Corpus Christi custodiat me in vitam aeternam.
Sanguis Christi custodiat me in vitam aeternam.*

Antiphona ad communionem

Communio

Corpus Christi. **Amen.**

*Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus,
et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.*

Oratio post communionem

Ritus conclusionis

Dominus vobiscum. **Et cum spiritu tuo.**
Benedicat vos omnipotens Deus, + Pater et Filius
et Spiritus Sanctus. **Amen.**

Ite, missa est. **Deo gratias.**



PREX EUCHARISTICA II

Praefatio

V. Dóminus vobiscum. R. **Et cum spíritu tuo.**

V. Sursum corda. R. **Habémus ad Dóminum.**

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro. R. **Dignum et iustum est.**

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre, nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere per Fílium dilectiónis tuae Iesum Christum, Verbum tuum per quod cuncta fecísti: quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem, incarnátum de Spíritu Sancto et ex Vírgine natum.

Qui voluntátem tuam adímplens et pópulum tibi sanctum acquírens exténdit manus cum paterétur, ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret. Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis glóriam tuam praedicámus, una voce dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt caeli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedictus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Vere Sanctus es, Dómine, fons omnis sanctitátis.

Haec ergo dona, quaesumus, Spíritus tui rore sanctífica,
ut nobis + Corpus et Sanguis fiant Dómini nostri Jesu Christi.

Qui cum Passióni voluntárie traderétur,
accépit panem et grátias ágens fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

**Accípite, et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim Corpus meum,
quod pro vobis tradétur.**

Símili modo, postquam cenátum est, accípiens et cálicem,
íterum grátias ágens dedit discípulis suis, dicens:

**Accípite, et bíbite ex eo omnes:
hic est enim Calix Sánguinis mei,
novi et aetérni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.
Hoc fácite in meam commemoratiómem.**

Mystérium fidei

**Mortem tuam annuntiámus, Domine,
et tuam resurrectionem confitémur,
dónec vénias.**

Mémores ígitur mortis et resurrectionis eius,
tibi, Dómine, panem vitae, et calicem salutis offérimus,
grátias ágentes quia nos dignos habuisti
astáre coram te et tibi ministrare.

Et súpplícés deprecámur
ut Córporis et Sánguínis Christi partícipes
a Spírítu Sancto congrégemur in unum.

C. 1: Recordáre, Dómine, Ecclésiáe tuáe toto orbe diffúsae,
ut eam in caritaté perficias una cum Papa nostro *Benedicto*
et Episcopis suis Auxiliaribus, et univérso clero.

C. 2: Meménto etiam fratrum nostrórum,
qui in spe resurrectionis dormiérunt,
omniúmque in tua miseratióne defunctórum,
et eos in lumen vultus tui admítte.

Omniúm nostrum, quaesumus, miserére,
ut cum beáta Dei Genetrice Virgine Maria,
beátis Apóstolis,
cum sancto Alphonso Maria
et ómnibus Sanctis,
qui tibi a saeculo placuérunt,
aetérnae vitae mereámur esse consórtes,
et te laudémus et glorificémus
per Filium tuum Jesum Christum.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spírítus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia saecula saeculórum.

Amen.



PREX EUCHARISTICA III

Vere Sanctus es, Dómine,
et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra,
quia per Fílium tuum, Dóminum nostrum Iesum Christum,
Spíritus Sancti operánte virtúte,
vivíficas et sanctíficas univérsa,
et pópulum tibi congregáre non désinis,
ut a solis ortu usque ad occásum
oblátio munda offerátur nómini tuo.

Súpplīces ergo te, Dómine, deprecámur, ut haec múnera,
quae tibi sacránda detúlimus,
eódem Spíritu sanctificáre dignéris,
ut Corpus et + Sanguis fiant Fílii tui
Dómini nostri Iesu Christi,

Ipse enim in qua nocte tradebátur
accépit panem et tibi grátias agens benedíxit,
fregit, deditque discípulis suis, dicens:

**Accípīte, et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim Corpus meum,
quod pro vobis tradétur.**

Símili modo, postquam cenátum est,
accípiens cálicem, et tibi grátias agens benedíxit,
deditque discípulis suis, dicens:

**Accípīte, et bíbite ex eo omnes:
hic est enim Calix Sánguinis mei,
novi et aetérni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.
Hoc fácite in meam commemoratiónem.**

Mystérium fidei.

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiόnem confitémur, donec vénias.

Vel: Quotiescúmque manducámus panem hunc et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel: Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiόnem tuam liberásti nos.

Mémores ígitur, Dómine,
eiúsdem Fílii tui salutíferae passiónis
necnon mirábilis resurrectiόνis et ascensiónis in caelum,
sed et praestolántes álterum eius advéntum,
offérimus tibi, grátias referéntes,
hoc sacrificium vivum et sanctum.

Réspice, quaesumus, in oblatiónem Ecclésiae tuae
et, agnóscens Hóstiam, cuius voluísti immolatióne placári,
concéde, ut qui Córpoze et Sáanguine Fílii tui refícimur,
Spíritu eius Sancto repléti,
unum corpus et unus spíritus inveniámur in Christo.

C. 1. Ipse nos tibi perficiat munus aetérnum,
ut cum eléctis tuis hereditátem cónsequi valeámus,
in primis cum beatíssima Vírgine, Dei Genetríce, María,
cum beátis Apóstolis tuis et gloriósis Martyribus
(cum Sancto N.) et ómnibus Sanctis,
quorum intercessiόνne perpétuo apud te confídimus adiuvári.

C. 2. Haec Hóstia nostrae reconciliatiónis proficiat,
quaesumus, Dómine,
ad totíus mundi pacem atque salútem.
Ecclésiám tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro Benedicto et Episcopis sui Auxiliaribus,
cum episcopáli órđine et univérso clero
et omni pópulo adquisitiónis tuae.
Votis huius famíliae, quam tibi astáre voluísti, adésto propítius.
Omnes filios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

Fratres nostros defúnctos et omnes qui, tibi placéntes,
ex hoc saeculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte,
ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,
per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largiris.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia saecula saeculórum.

Amen.

